

utpote quod aliàs è cera, pice, ac terebinthina ad focum luculentum decenter mixtis, confeceramus, hac vice verò (quia notare rem istam, tanquam vilem & obviam, in descriptione tubi simplicis Tentam. VII. Part. I. neglexeramus) picis admi-scendæ penitus obliti. Deinde unius tubi gracilitas & angustia ad supremam flexuram I (non poterant enim vitriarii moderni in officina vicina Mariæburgensi tam longos amplos-que nobis tubos parare, quàm ante plusculos annos pro tubo simplici facti erant ab opifice interea mortuo) aquæ, quæ per A fundebatur, descensuræ & aëris contra ascensuri obviatio-ne ac cessione difficili fluxum aquæ cohibebat in altero crure AB; dum interim alterum AC, jam repletum ad summita-tem usque, tantum pondus tamdiu gestare coactum, hinc inde ad commissuras tuborum rimas agebat & aquam pau-latim emittebat. Nihil aliud igitur hac vice demonstrare li-cuit, quàm aquæ, licet pauca, sub magna tamen altitudine constitutæ, impetum vehementissimum, quem reseratis in-ferioribus ad B & C epistomiis, intueri pariter ac audire, cum adstantium plerorumque conspersione, dabatur.

IX. Alterâ igitur vice res erat tentanda, integro fere triduo rursus insumpto, in resuendis primùm ac denuò com-mittendis glutineque tenaciore nunc connectendis tubis, ob-volutâ quoque ubique stupâ & suillâ denique vesicâ funiculis validè constringentibus ubique superalligatâ. Quo factò, fe-licius equidem successit siphonis in utroque crure repletio, (posteaquam vulnus etiam, uni tuborum ex aquæ lapsu nu-pero procul dubio inflictum, & nunc demum ex aquæ novo profluvio cognitum, pari curâ ligatum fuerat) quin & id- ipsum quod præcipuè hoc experimento demonstrare consti- tueramus, ipsâ re deprehendimus; aquam scilicet, apertis unâ epistomiis inferis è vase B per A ad C non profluere in tanta altitudine, ut aliàs per siphones solet, sed statim in utroque crure ab A versus B ac C delabi: Verùm, cum hic ipse descen- sus circa pedem trigessimum, ut aliàs in tubo simplici factum erat

Phæn, IX.